



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Hæreditas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

204 H A E R E D I T A S.

qui cum eo sepeliri elegerint. *art. 9.*

Tam morientes, & sepeliendi in habitu Fratrum Minorum, quam morientes & sepeliendi in habitu Sororum tertiæ Regulæ S. Francisci, sub obedientia Generalis & Provincialium degentium, consequuntur plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, *ex concess. Leon. X.* qui etiam declaravit sufficere prædictum habitum petere, ac super se usque ad mortem habere, & in eo sepeliri, etsi ante mortem non induatur. *art. 10.*

Osculantes habitum Fratrum Mendicantium, lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis, seu dies 2075. *Ex Ioanne XXIII. art. 11.*

H A E R E D I T A S.

*Vide Exheredari, Episcopus, Testamentum,*

**M**onachus factus hæres, non potest adire hæreditatē sine consensu Abbatis, sed eo nolente potest adire Monasterium. *tom. 2. q. 77. art. 1.*

Fratres Minores Observantia  
nulla



nullatenus sunt capaces successio-  
num hæreditatum, nec licet eis va-  
lorem talium hæreditatum, vel  
tantam earum partem quasi sub  
modo, & forma legati dimitti sibi  
facere (quod præsumi possit hoc in  
favorem fieri) vel sic dimissas re-  
cipere. Quin potius ista sic fieri ab  
ipsis Fratribus simpliciter, prohi-  
bit *Clemens V. in Clement. Exiui, de  
verb. sig.* Vnde si instituantur hæ-  
redes, & nullum habeant substitu-  
tum, vel cohæredem, testamentum  
nullum est, pertinebitque hæreditas  
advenientes ab intestato. *tom. 2. q.  
78. art. 1. 2. & 3. tom. 3. quest. 69.  
art. 10.*

Quamvis Fratres Minores non  
possint recipere hæreditatem, quæ  
continet quoddam ius vniuersale;  
possunt tamen recipere singularia  
relicta, aut aliquod fideicommissum  
particulare, quod Syndicus petere  
potest, vt Fratrum necessitatibus  
subueniat. *tom. 2. q. 78. art. 3. & 4.*

Quando Fratres Minores insti-  
tuuntur hæredes cum clausula ap-  
posita, quod pro eorum necessitatibus  
vendatur dicta hæreditas, & in eae  
car



*conuertatur*, licet talis dispositio nō teneat quoad institutionem hæredum, & habeatur pro non scripta (eum illius Minores sint penitus incapaces) tenet tamen, & validum est testamentum quoad piam causam ibi appositam: quia (tametsi non sit persona, in quam ius & nomen hæredis cadat) in piis causis sufficit, quod hæreditas ad piam causam relinquatur. Adde quod personam, quæ hæreditatem adeat, repræsentabit Episcopus, vel Respublica. *art. 4.*

Si Fratres non instituantur hæredes, sed alter qui debeat hæreditatem vendere, & eius pretium in necessitates Fratrum expendere, hoc nullo modo videtur iure Fratribus prohibitum: quare licet poterunt acceptare; hunc tamen, sicut & præcedentem Aphorismum intellige, modo quantitas non sit tam magna, quod videatur in fraudem facta paupertatis, sed sit tantum ad subleuandas necessitates Fratrum præsentis, vel imminentes, quia alias saperet thesaurisationem. *ibid.*

Quamquam Fratres Minores incapaces



capaces sint relictorum in testamē-  
tis, variis tamen modis eis consu-  
litur. Primò, Iudicis officio, qui ex  
suo mero munere, nemine etiam ad  
hoc agente, compellere potest illū,  
qui ad aliquid tenetur ex testamen-  
to, vel alias, vt relictā minorib. sol-  
uat, & testamentum adimpleat. *art. 1.*

Secundò, cuilibet populo com-  
petit actio, & quilibet à populo po-  
test agere, vt relictā ad pias causas  
(puta Fratibus, pauperibus, &c.)  
adimpleantur per illum, qui graua-  
tus est à testatore, vel alias ad hoc  
tenetur. *ibid.*

Tertiò, potest Syndicus petere  
nomine Papæ prædicta legata, dum-  
modo hoc fiat cum aliis debitis cir-  
cumstantiis, *ibid.*

Ecclesiæ Frat. Min. potest institui  
hæres secundum *Bartholum*, cum sit  
de iure & proprietate Ecclesiæ Ro-  
manæ; *Baldus* tamē cōtrā sentit. a. 5.

Mendicantes per priuilegia pos-  
sidere valentes, possunt succedere  
ab intestato, nisi contrariū habeant  
eorum constitutiones autoritate  
Apostolica confirmatæ, quas quis-  
que videre debet. *art. 6. & 7.*

Monz



Monachi Benedictini, & Cister-  
tienses, succedunt ab intestato, tan-  
quam si in saeculo essent & licite  
possunt petere & retinere haeredita-  
tes, fideicommissa & legata. *Ex  
concessione diuersorum Pontificum,  
art. 8.*

Regulares non Mendicantes, ut  
sunt regulariter omnes Monachi &  
Canonici Regulares, licet non pos-  
sint habere bona in particulari, pos-  
sunt tamen in bonis temporalibus  
succedere, ac si mundum non reli-  
quissent. Et licet iure prohibeantur  
succedere in feudis, ex concessione  
tamen Sedis Apostolicae iam succe-  
dunt modo supradicto. *Pro quo vide  
Feudum. art. 9.*

Conuersi remanentes in saeculo,  
neque profitentes aliquam Regulam  
Religionis approbatam, succedunt  
consanguineis; ac si non essent obla-  
ti: si vero non remanent in saeculo,  
& Regulam aliquam profitentur  
tunc succedunt Monasteria, si sint  
capacia: sin minus, ad consanguineos  
desertur haereditas. *art. 10.*

Moniales, quae possunt habere  
propriam in communi, siue per Re-  
gulam,



gulam, siue per priuilegium, possunt  
succedere, alia non, vt sunt Soro-  
res vocatae Collectaneae S. Clarae.

art. 11.

Religiosi, quorum Monasteria  
capacia sunt successionis, succedunt  
in maioratu, recipiuntque commo-  
ditatem totam ex illo praedicta Mo-  
nasteria, interim dum tales Reli-  
giosi vixerint: quod verum est, e-  
tiam si maioratus habeat annexam  
dignitatem, iurisdictionem, aut que-  
cumque alia, modo tamen religio-  
ni non sint incompatibilia; idem  
est etiam de Monialibus, in maio-  
ratu scilicet succedunt, sicut Reli-  
giosi, art. 15. & 13.

Ad exclusionem Monasterij à ma-  
ioratu non sufficit praesumpta, aut  
interpretatiua voluntas fundatoris,  
seu institutoris; sed necessaria est  
clara, & manifesta per verba clara,  
& manifesta ipsum excludere vo-  
lentis. *ibid.*

Monialis renuncians suae legiti-  
mae, & cuiuscumque successionis, quo-  
modocumque illi obuenerit, & ex  
quacumque parte, habet, non ob-  
stante praedicta renunciatione (simi-  
liter

O

liter



liter & eius Monasterium) ius ad petendum maioratum, nisi etiam maioratu expressè renunciarit; quia renunciationes sunt stricti iuris, & talis natura, ut non comprehendant nisi quod exprimunt. *art. 14.*

Fratres Minores Regularis Observantiae meliorati à parentibus in tertio, & quinto, habent ius ad talem meliorationem, si postea fiant capaces, facti Episcopi, aut transeuntes ad Religionem bonorum capacem: pertinetque melioratio, & legitima ad secundum Monasterium. *tom. 2. quest. 79. art. 1.*

Monacho professio validè in vno Monasterio, transeunte voluntariè ad aliud, & licitè & validè, omnia bona eius, quæ post professionem ipsam primam, usque ad secundam quæsivit, & etiam ea quæ habebat tempore illius primæ professionis, remanebunt Monasterio priori, siue bona, quæ habuit ante professionem donasset expressè priori Monasterio, siue tacitè in consequentiâ suæ personæ: quæ sita verò post secundam professionem erunt secundi Monasterij. *art. 2.*

Profes



Professio in Ordine Minorum de  
 Obseruantia est mors ciuilib, ope-  
 rans omnem effectum quem mors  
 naturalis; vnde ea facta; statim  
 consanguinei succedunt non expe-  
 ctata morte naturali, tom. 2. qu. 80.  
 art. 1.

Secus est in Ordine Prædicatorū,  
 & aliis Religionibus, quæ possunt  
 habere bona in communi, in qui-  
 bus mors ciuilib non operatur om-  
 nem effectum quem mors naturalis;  
 hinc in iis, succedentes Religioso  
 ex testamento, vel ab intestato de-  
 bent expectare mortem naturalem  
 professi. Interim enim quod non  
 moritur naturaliter, dispositio, quæ  
 fecit in testamento, vel quæ facien-  
 da esset ab intestato, erit in suspen-  
 so, nisi in testamento aliter dispo-  
 fuerit ipse Religiosus. *ibid.*

Monacho nondum professo ta-  
 citè, vel expressè, decedenti in Mo-  
 nasterio cuiuscumque Religionis,  
 ab intestato succedunt consangu-  
 nei. Idque procedit, non solum si  
 simpliciter ingressus fuisset non  
 facta mentione de suis bonis; sed  
 etiam si se obtulisset cum suis bo-  
 nis



nis, vel se, & bona obtulisset. Quia videtur sub quadam tacita conditione obtulisse, si scilicet sequatur professio. *art. 2.*

Si tamen prædictus ingrediens Religionem, nec professus, longe ante ingressum bona obtulisset, non succederent venientes ab intestato, sed Monasterium, quia in dubio videtur obtulisse non contemplatione ingressus, & professionis. Similiter si ingrediens obtulisset expressè bona Monasterio, tempore ingressus declarando velle se apud Monasterium prædicta bona manere, remanebunt: quamvis professio non sequatur, quia tacita conditio, quæ præsumi poterat, per expressam cōtrariam voluntatem tollitur. *ibidem.*

Si ingrediens Monasterium decedat facta professione solemni succedit Monasterium, nō tantum quoad dominium, sed etiam quoad possessionem, nisi habeat liberos, quibus iure debetur legitima; quam etiam multi tenent deberi parentibus defuncti. *ibidem.*

Non potest filius petere legitimam



H A E R E S I S. 273

nam sibi debitam in bonis patris facti Religiosi, etiam post professionem, donec pater moriatur. *ibid.*

H A E R E S I S.

*Vide Matrimonium, Eleemosyna,  
Reservatio casuum.*

**O**Mnes Religiosi etiam Mendicantes, hodie (quod olim ita non erat) subiiciuntur officio S. Inquisitionis per multos Pontifices, nisi eorum Superiores iudicium & causam præoccupauerint, per *Extrauagantem Py I V.* quæ quoad hanc partem licet aliquando fuerit recepta; nunc tamen S. Tribunalis stylus & consuetudo contrariam obseruat: nulli enim Superiores audent suos in hac causa iudicare ac punire, sed prorsus ad S. Officium deferunt. *to. 2. q. 81. art. 1.*

Inquisitor de Ordine Prædicatorum non potest procedere in Fratrem Minorem, nec e contra, sine expressa Papæ licentia, per *Sixtum IV. art. 2.*

Inquisitores Religiosi priuilegio exempti sunt ab obedientia sui Su-

O 3 PC